



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Cucupha.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A quantum ad regium illud sceptrum pertinet, Plutarchus hoc de Grue sentire videtur, opusculo cui titulus: *Quanam sint prudentiora animalia, terrestria an aquasica*. Gruem enim facit fluviali Equo oppositam, ea qua de superius causa dictum est.

DE CUCUPHA. CAP. IV.

Philippus ille, qui fragmenta quaedam ex hieroglyphico literarum Ægyptiarum interprete, cui Horapollinem nomen faciunt, satis curiose collegit, & Græco sermone scripta posteritati commendavit, Cucupham quandam nominat in huiusmodi pietatis significatum. Nomen mihi, ut ingenue fatear, nondum cognitum vocabuli novitate sive potius ea Cicuma sit, quæ & ipsa parentum curam suscipit, & à Latinis inter Ciconiarum genera recensetur. Sedenim, in his facile sum iis, qui certiora compererint, acquieturus.

GRATUS ANIMUS. CAP. V.

Sed utcumque, gratum animum is per ejus alitis hieroglyphicum significari dicit apud Ægyptios: propterea quod unum hoc animal (ita enim illic habetur) ante alia omnia genitoribus senio confectis eodem modo gratiam rependit, quo ales ipsa fuerit educata: in eodem enim loco ubi fuerit à parentibus enutrita, eis nidum parat, pennas vellicat inutiles, eoque cibum importat (*τρυφάς* enim in manuscriptis codicibus antiquis, non *τρυφάς*, legitur) idque quoad resumptis pennis ipsi sibi sufficere queant. Atque hæc est, quam ait in sacris sceptris prærogativam habere. Apud Suidam in Reciconiandi proverbio, ut novo vocabulo verbi Græci proprietatem explicemus, nimirum legere est, in ejusmodi sceptris *πλάγρον* adsculpi, quæ dubio procul Ciconia est. Atque ego animadverti quibusdam in numis huiusmodi sceptri speciem Ciconiæ capite insignem esse.



Cucupha in genitorum pietas.

reciconiare

VERNUM TEMPUS. CAP. VI

Habetur & tepidi temporis hieroglyphicum Ciconia: quippe quæ adveniente hyeme in tepidiores regiones transmigrat, verno vero tempore nos invisit: quare Petronius eam felici compositione Exulyemem vocavit. Hinc in æstatis pictura Ciconiam nonnulli addidere, quando constat eam ex erraticis avibus adventum esse.

MUNIMENTUM AB INSIDIIS.

CAP. VII.

Invenio & munimentum ab insidiis atque veneficiis, per Ciconiam platani folium gestantem significari: ea siquidem huiusmodi folio nidis imposto, editis ovis ea ab Noctuarum injuria defendit. Compertum enim est, si Noctua ea contigerit, fascinari: incubationem quippe omnem, ac si ova essent subventanea, irritam fieri, quod observavit Alianus. Novit vero Ciconia amuletum id, ut eo non accedat Noctua, ubi platani folium fuerit. Quid enim commune esse potest aliti lethali, cum à bore geniali? Vel eam inesse folio vim dicemus, ut ab ejusmodi fascinatione valeat ova liberare.



Platani folium gestans Ciconia, quid.